

batur, quod Helvetii, qui neque rationibus, neque precibus in officio contineri poterant, aut missionem, aut pugnam cum hoste flagitabant. Dum hæc varie apud nostros agitantur, hostes ad Carthusianorum cœnobium, prope septum, quod viginti millium passuum ambitu ad venatum olim Insubrum Duces muro seperant (*Parcum* vulgo appellant) ad tria passuum millia castra ponunt. Id cum Lautrechius persensisset, neque diutius tuto iis in locis morari posse exercitum cerneret, Ticino relicto, ad Landrianum vicum proficiscitur; inde Modoetiam petiit, ut leviorum equitum auxilio pecunia nuper e Gallis Aronam delata reciperetur; quod ne fieret, ab Anchise Vicecomite, qui cum quingentis peditibus, ac nonnullis levioris armaturæ equitibus a Hieronymo Morono missus, ad Bustum oppidum haud procul Arona confederat, prohibebatur.

Hostes cum movisse Lautrechium cognovissent, Binaſcum, ne opportunitate illius loci potiretur, exiguo inter utrosque exercitus intervallo rediere. Verum ingens pecuniae inopia, quæ nostrorum conatus retardaverat, in dies augeri. Helvetii, quibus jam persolvendi stipendii tempus aderat, vetera gentis instituto nullas moras admittere, conqueri, vociferari non ea se conditione a penatibus abstractos, ut animam, & corpus vili pretio æstimarent: non hæc egregia pro Galliæ Regibus facinora meruisse, pro quibus ſæpe sanguinem cum vita profuderant, ex quorum vulneribus non minus gloriæ potentissimis Regibus, quam sibi sanguinis manasset: paratos esse in confertas hostium acies impetum facere: periculum virtutis, militarisque disciplinæ fortissimæ gentis Lautrechius ederet: postera die aciem instrueret: nullum non fidei, roboris, ac egregiæ virtutis argumentum adversus hostes præstaturos; si id abnuat, iter in patriam, ad domos, conjuges, filios, quæ omnia studio in Gallos minora duxerant, arrepturos. His de rebus, atque de Helvetiorum animis ab Andrea Grito Legato, & Paulo Nannio Bergomi Præfecto Senatus certior factus; ne ob illorum discessum aliquod detrimenti Republica caperet, ut Lautrechio suaderent, mandayerat; si Helvetii secessionem molirentur, ac trans Alpes iter maturarent, ut se se cum exercitu; tum ad milites incolumes servandos;

1522

*Lautre-
chius a Ti-
cinensi op-
pugnatione
discedit.*

tum